



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE PRINCIPIS APOSTOLORUM** B. M. IMAGO QUAE IN OPPIDO COLITUR TECOMÁN COLIMENSIS DIOECESIS QUAMQUE VOCANT ATQUE INDIGENAE USURPANT «VIRGEN DE LA CANDELARIA» SUMMI PONTIFICIS NOMINE PRETIOSO DIADEMATE REDIMITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Principis Apostolorum obtinentes locum, erga Virginem Mariam cultum et filialem dilectionem in universo christiano populo excitare confirmareque nunquam destitimus, pro exploratissimo quidem habentes ex caelesti Matre maxima evenire spiritalia beneficia et pietatis augmentum. Quandoquidem igitur Venerabilis Frater Iosephus Fernández Arteaga, Episcopus Colimensis, litteris die XXII mensis superioris Novembris datis, optata quoque significans tum cleri tum fidelium, instanter postulavit ut illa antiqua et clarissima B.M.V. imago, quae in Sanctuario asservatur oppidi Tecoman quamque ibidem incolae «Virgen de la Candelaria» vocitant, nomine Nostrae auctoritate pretioso diademate coronaretur, prompta sane voluntate, quin immo laetanter, precibus admotis concedere cupimus. Itaque iis quidem probatis quae Congregatio pro Cultu Divino de hac re decrevit, Nostra usi Apostolica potestate committimus Venerabili Fratri quem diximus vel ei quem ipse legaverit munus corona redimendae imaginis B.M.V. quam supra memoravimus, secundum sacrae liturgiae probata praecepta, id nempe nomine et auctoritate Nostra. Ipsam denique caelestem deprecamur Advocatam maternis ut respiciat oculis amatos filios filiasque ad se decurrentes eosdemque suum auxilium fidenter deposcentes. Contrariis rebus minime obsistentibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIX mensis Decembris, anno MCMLXXXVIII, Pontificatus Nostri undecimo.* AUGUSTINUS card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1988 - Libreria Editrice Vaticana

---